



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1709. usque ad annum 1714

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1782

VD18 90119266

§. 47. Casparis Estræi Cardinalis extrema.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67615](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67615)

§. XLVII.

Sæc. XVIII.
A. C. 1714.*Cæsaris Estræi Cardinalis extrema.*

Postremus ex Cardinalibus hoc anno denatis erat Cæsar Estræus, qui in Gallis ex nobilissimo genere ortus, studio, vigiliis, atque amplissima eruditione natalium splendorem æquabat. Ordini Clericali adscriptus, & Episcopus Laudensis nominatus, ad Bavariz Electorem a Rege missus, ad ejus vota hunc Principem a Cæsareis partibus abstraxit, tanque præclara obsequia Lusitanz Regi præstitit, ut ad ejus preces Cardinalis renuntiaretur. Romæ degens, Lusitani Regni Protector exstitit, in Galliam vero reversus, & ad maxima Regni negotia assumptus, pinguissima a Rege beneficia obtinuit, ab eodemque denuo Romam missus in Regaliarum causa ibidem tenaciorem jurium Regionum, quam Pontificiæ causæ propugnatorem egit, quin tamen propterea Pontificis indignationem incurreret, eoquod Hic in eo semper Religionis cultum prævalere cognosceret: Ipse etiam Molinosium apud S. Inquisitionis tribunal denuntiabat, & mortuo Estræo ejus Fratrem & Franciæ Regis Oratorem in univ. Gallici Ministerii procuratione succedens, ob asy-
lorum

Guarnac.
t. I. p. 25.

Sæc. XVIII. lorum libertatem Legatis ademptam
 A. C. 1714. tam dextere, obtenta Lavardini dimil-
 sione, Pontificis iram placabat, ut ta-
 men Regem suum non offenderet. Pau-
 lopost in Franciam revocatus, a Rege
 Equitum Ordini S. Spiritus adscribe-
 batur; mox tamen Romam reverti
 iussus, gravia Cleri Gallicani dissidia
 unacum Jansonio Cardinale ad concor-
 diam feliciter perduxit. Sæpius sacris
 interfuit comitiis, in quibus sui im-
 memor, semper in Papam Gallis pro-
 pitium ceterorum suffragia contrahere
 intentus erat: Fervente bello Hispanico
 Estræus Italix Principes Regi suo
 propensos reddere, ac demum Regem
 Philippum V. in Hispaniam comitari
 iussus, ibidem ringentibus Protocæro
 Cardinale, aliisque Hispanix Admi-
 nistris, rerum summa potiebatur; ex
 tanta tamen felicitate sibi tam acer-
 bam aliorum invidiam accersebat, ut
 obtenta in Franciam revertendi facul-
 tate rerum mundanarum tædio affe-
 ctus, insuper Lusitani Regni procura-
 tionem dimitteret, ac ferme semper
 in sua Abbatia ad S. Germanum de
 Pratis, quam a Rege impetraverat,
 rebus divinis vacans, raro Aulam
 frequentaret, quamvis ceteroquin Re-
 gis sui commoda procurare semper in-
 tentus esset, ac ingravescente pecunia-
 rum

rum inopia argenteam suam supelle- Sæc. XVIII.
 filem ultro ad cudendam monetam A. C. 1714.
 traderet. Exortam in Galliis conten-
 tionem circa Constitutionem *Unigenitus*
 in sui ortu extinguere & Cardinalem
 Noailiam ad humilem illius accepta-
 tionem permovere, frustra adlabora-
 bat. Nominatus a Papa ad Albanen-
 sem Episcopatum, huic Ecclesiæ pre-
 tiosissimas gemmas dono dedit, pluri-
 busque aliis pietatis operibus æterni-
 tatis viam sibi expeditiorem reddidit,
 ac demum die decima nona Decembris
 annos natus octoginta septem Deo,
 quem semper in mente habuit, Crea-
 tori suo mortalitatis debitum persolvit.
 Erat sane Princeps incomparabilis, de
 Ecclesia, Rege, Regno, & re literaria
 longe meritissimus, rerum publicarum
 experientia, ingenii perspicuitate, eru-
 ditione omnigena, morum comitate,
 & liberali pauperum patrocínio nume-
 ris omnibus absolutissimus, cunctisque
 percarus, & maximi habitus erat.

§. XLVIII.

*Summi Pontificis Constitutiones &
 Epistolæ ad diversos.*

Gravissimæ subinde in variis Eccle- Epist.
 siis ac Regnis exortæ dissensiones, Clem. XI.
 aliaque negotia plurimum hoc anno
 Pasce.